

UNIVERSITÄT
SACHSEN-ANHALT
124

Cc 432

1) Kuesbeck, Thomsen, Humpo
et Latinius

ms. 24 - 18]

Cc 432^a (1-21)

PK

Diuina fauente gratia

DISPUTATIO I. ETHICA APOLOGETICA.

pro ARISTOTELE

Contra

WILHELMUM TEMPELLVM

Complectens duo capita

- I. Quod virtus Moralis sit ab assuetudine seu usu
- II. Quod virtus rectè definiatur Mediocritas.

Quam

Sub prasidio

Cc 432a

M. MARTINI CONRADI Franci publicè defendet

CHRISTIANVS ALBERTVS Cl. viri Salomonis Alberti Medici Nobiliss. Fil. Wuitebergensis

Erit disputatio g. Maij sexta matutina in auditorio magno collegij noui.

WITEBERGÆ,

Excusa typis VVolfgangi Meisneri

ANNO clō 1ō 1VC.





STRENUA NOBILITATE,
rerumq; usu praeantissimo Viro, Do-
mino VVOLFFGANGO
DITERICO à Witzleben
zum Wendelstein /

Domino & promotori meo singulari, & hono-
re semper prosequendo,

Observantia & gratitudinis ergò
Hæc philosophica progymnasmata:

Nuncupat & consecrat.

Christianus Albertus.

POSITIO PRIMA.



Um in huius vitæ fragilitate nihil præclarius ho-
mini (quat. est ζωὴ πολιτικὴ) accidat, quàm
eam vitæ rationem inire, vt & ipse bene beate- Cic. 1. officio.
que vivat, & per eius ministerium communis
hominum societas multum adiuvetur: quæstio
intempestiva habenda non est, quid sit id, & vnde
de etiam eveniat, quo tanta hominibus felicitas
acquiritur.

2. Esse autem virtutem εὐδαιμονίας causam, non solum cum Ari- dial. 7. 3. de
stotele Plato atque Cicero confitentur: sed homines aliàs harum repub. item
disputationum ignari, vltro sermonibus frequentant. in protag.
3. Itaque indagemus res flagitat, vnde virtus sit. Si enim
δεόπνευστος: vtpote nostro studio eam acquirere frustra conten- Plato in pro-
dimus. Sin humana industria possideatur, quid ni omnes hominum tag.
animos accendamus, vt virtutum studia amplexentur, & ad com- Arist. 1. Nic. 9.
munem hominum societatem ornandam tantum κημείλιον afferant?
4. Sed tunc etiam necessitas imponit nobis dispicere τὸν λόγον ἢ
τὸ τί ἢ ἔναι virtutis: num verè μεσότης & mediocritas dicatur, quod
sentit Aristoteles: an verò ab hac fiducia inani argumentorū stre-
pitu se Philosophus præcipitem egerit?
5. Iccirco ipsa tum dignitas quæstionum ad accuratiorem σκέψιν
nos exulcitat: tum verò id potissimum, quòd Gulielmus Tem-
pellus Danæi nimirum vestigijs insistens, de Aristotelis sententia
victâ, subuersâq; egregium sibi triumphum decreuit: ita quidem, si
huius verbis fidem habeas, posthac Aristotelis rationibus probare
non valeas, quod virtus (de morali sermo mihi est) ἐδισμῶ, assue-
factione comparetur: & ὅλως virtus Mediocritas præscribatur;
6. Age igitur vt cernamus, vter duorum feliciore Marte pugnave-
rit, duobus capitibus de duabus istis quæstionibus edisseremus: sic
vt primum fundamenta Aristotelis proferamus & mox Tempelli,
quid in vno quoq; syllogismo desideret, castigationes subiiciamus.
Quod virtus moralis assuefactione seu vj u acquiratur.
7. Philosophus duplex genus virtutum asserendo, alias ἡδοναίαι, a. 1. Nicom. 19.
lias διανοητικαίαι appellans, discrimen in causarum efficientium diuer- 2. Nicom. 1.
sitate constituit.

8. Nam quemadmodum ἡδισταί sunt voluntatis, ut vulgò solent loqui, & διανοητικαί sunt intellectus: Ita has à doctrina πρώτως, illas ab assuefactione & vlu ἡγεμένως oriri asseritur.

t. Nicom. 13. 9. Rationem aliquam diuersitatis efficientiæ digito monstrat Philosophus, edisserens nobis, quo pacto ἀλογον μίσησιν animæ, dictamen rationis percipiat. Non tanè vt Mathematicus suas ἀποδείξεις apprehendit. Quin ita magis vt patris consilium filius accipit: vim conclusionis non intelligens, aut etiam ei non attendens.

10. Quo de vt minimè integrum nobis est pluribus disceptare: quod de origine virtutum ἡδικῶν verba facere, promissum nostrum instat: ita in secunda συζητήσῃ Ethica pro Philosopho disseremus. σύνδεσσο & copiosius & solidius. Nunc ad rhombum.

2. Nicom. 1. n. 7. 11. Principio verò præter Tempellum, plenum consensum ab omnibus sanis obtinemus, ὅτι οὐδὲν τῶν φύσει ὄντων ἄλλως ἐδίδεται, quod rerum naturalium nihil aliter assuefieri possit, atq; natum est. Nam siue lapides v. g. sumas, cum sua naturâ deorsum ferantur, nulli consuetudini locus est, vt sponte ferantur sursum. Aeris porrò, aquæ, aliorumque naturalium (ἰδίως intelligendo) par ratio est.

Arist. lib. 9. Metaph. 5. de generat. lib. 2. 12. Et nos hoc quidem experientia docuit. Causam autem si postules, eam inuenire, admodum difficile non est. Cur enim naturalia dicis, nisi Naturam parentem habeant? Quamdiu igitur ea (φύσις) vno eodemque se habet modo (diuersimode autem non potest: quod sit simplex agens: neq; seipsam negare possit) ista ceriè ἡδισταί sunt ἰδιῶς expertia.

Plato 4. de repub. 2. Nic. om. 1. n. 13. 13. Nunc virtutum ἡδικῶν indolem ob oculos pone: ilico deprehendes, aliam eam longè esse, quam τῶν φύσει ὄντων fuit. Communi calculo omnium rectè sentiētium approbatur, ἐκ τῆς δικαίας πράξεως περὶ δικαιοσύνην: καὶ ἐκ τῆς σώφρονος πράξεως, τὸν σώφρονα fieri.

1. argument. pro philo- sopho. 14. Sit id propter pro Philosopho nostro hic. Syllogismus primus.

Nihil natura insitum nobis, assuetudine mutatur.

Omnis virtus moralis assuetudine mutatur. Ergo.

Nulla virtus moralis natura insita est, sed vsu acquiritur.

Tempell. pro Mildapetti de vnica metho- do defen. pag. 439. 15. Conclusio Tempello falsa est. Nam morum (inquit) virtutes Aristotelicæ ad ortum suum & natiuam mentis confirmationem & vim frequentissimæ actionis, etiam doctrinæ adiumenta detulerant.

derant. Nam quorsum aliter ab Aristotele Ethicæ disciplinæ præcepta tradantur?

16. Præterea (regerit idem disputator) Aristoteles homines *confirmate ætatis* huius tam Elegantis disciplinæ auditores esse vult. Quod necesse certè non esset, si *consuetudine* sola & actione animus ad virtutem institui posset.

Ibid.

17. His ille argumentum Aristotelem premit, scilicet. Solutio verò duplex est. Nam primùm authoritati & sententiæ Aristoteleæ nihil decedere dicimus, si etiam per accidens vel doctrina vel experientia virtutum Moralium ponantur causæ: dummodo ἡγέμεθα ὡς αἰτιᾶ fit ἰδισμός assuefactio & usus. Talem nimirum nunc quarimus: quæ in actu posita, seq; legitimè habens, effectum quoque ponat.

18. Dicis, cur *confirmate ætatis*, auditores Ethicæ disciplinæ idoneos iudicauit? pro Philosopho respondeo. 1. apud Aristotelem non legi ita. Sic enim habet. διὸ τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστι δικαίᾳ ἀκροατικῆς οὐδέ. Et paulò post. διαφέρει δ' οὐδὲν νέῳ τῆν ἡλικίαν καὶ τὸ ἰδίᾳ νεαρός. 2. Nulla est τῆς διότι cognitio, ubi nulla τῆς ὅτι prædecessit. Cæterum τὸ ὅτι disciplina moralis in cognitione actionum singularium consistit, ut quis sciat, quid in repub. benè constituta, legitimum, usu receptum, approbatumque publicè sit. Quapropter propter τῶν πρακτικῶν ἀποδείξιν pueri & adulescentes, qui propter teneram ætatem rerum usu non polleant, auditores idonei non sunt: nisi quod ætati deest, prudens educatio compensaverit.

1. Ethic. Nic.
1. n. 4^o. 48^o

1. Nic. 2^a
n. 28^o

19. Adeo verò hinc non inferitur, quòd præceptorum cognitio virtutis acquirendæ causa sit primaria, ut vltro sequatur, magnum momentum Ethico in præceptorum γνώσει fitum non esse. Sit is in singularibus actionibus morum probè versatus: & tum vel vltro ex singularibus vniuersales γνώμας construet: vel citra omnem difficultatem eas ab alijs discet. Secus eueniet, si hanc discendi Methodum neglexerit. ἀρχὴ γὰρ τὸ ὅτι καὶ εἰ τῶτο φαίνοιτο ἀριδύτως, οὐδὲν προσδεῖσθαι τῆς διότι, ὃ δὲ τοῖς τῶν ἡλικίᾳ ἀρχαῖς ἔχουσιν.

1. Nic. omnia
n. 30. 33^o

20. Nunc in præmissis ambabus quid requirit Tempellus? perquam certè multa. Maior enim propositio ipsi ἔν μείζονος tantum est.

21. Nam agrorum (inquit) sterilitas & feracitas corrigi cultu diligenti

Temp. in eo- diligenti cernimus. Num igitur non fatebimur, res aliquas è natura
dem libel. pag seminario profluxisse, quæ tamen mutari & corrigi possunt?
90.19.

2. Phys. 1.
7. Georg.
virg.

22. At Tempelle, vana tua est argumentatio. Non enim Philo-
sophus id dicit, naturalia mutari non posse: verum hoc contendit,
ἄλλως ὄντι ἐδίξεσθαι aliter assuefieri non posse v. e. lap's assuefactio-
ne non discit sponte sursum ferri.

23. Alibi verò Philosophus affirmat, Artem tum amulari, tum
perficere Naturam. πάντα γὰρ τέχνη καὶ παιδεία τὸ πρὸςλείπον ἐδλε-
ται τῆς φύσεως ἀναπληρῶν. Neque etiam ignotum est, aliquam emen-
dationem, agrorum sterilitatem admittere. Sic enim poeta: Sæpe
etiam steriles incendere profuit agros.

24. Quanquam omni parte soli sterilitas haud eruncetur: vt vel
arenosum vel saxosum vel nitrosum solum omnem vitiositatem
exuat. Quò illud pertinet. Naturam expellas furcâ, tamen
vsque recurrit. Et tunc satis est, vt quod boni insit, studio & cul-
tu diligentis seruetur: semperq; ad melius propendens Natura quo-
quo modo iuuetur, ne prorsus succumbat.

25. Instat Tempellus: Plantas nonnullas sarmentis syluescere,
nimiaq; vbertate efflorescere. Istam tamen naturalem luxuriam
arte diligentis agricolæ depasci.

26. Hoc verò quid ad præiens negotium? Siccine violenta ad con-
suetudinem remittit? Num etiam plantæ discunt, ne amplius syl-
uescant: ne ué amplius nimia vbertate efflorescant, quando indu-
stria coloni cessat, & quotannis sarmentæ ferro non amputantur?
Minimè gentium. Nam si vno anno cessator fuerit agricola, vt vi-
tem lapsu erratico serpentem falce non amputet, nonne secundo
anno in syluam abiit.

27. Obijcit præterea: Solum disparem rationem disparem in plan-
tis naturam sæpiuscule parere.

28. At nihil adhuc audio, quòd probet, rem quampiam naturalem
ἄλλως ὄντι ἐδίξεσθαι. Solum autem mutatio & transpositio plantarum aut
Naturam adiuuat aut præpedit, vt aut facilius aut difficilius id, ad
quod propendet, coniequatur. Hoc ad ἐδισμὸν relegare, quàm sit
ineptum, quis sanus non intelligit?

29. Quod de monstris affert, in illis cerni naturæ cursum aliquan-
do inhiberi: largimur equidem, naturam plasticam multis impediri
modis posse, vt monstra proueniant. At quid hæc confessio pro-
dest

dest disputatori? Illud hinc colligit, scilicet, naturalia aliter assue-
fieri, atq; nata sunt? ἀλογον. Inhiberi namq; ne finem suum conse-
quatur Natura, non est ἄλλως ἐδιζεδυ. Ut omittam dicere, quod
Philosophus non de nascentibus, sed de rerum natarum perfectio-
nibus & παθήμασι loquatur.

30. Etiam aves, inquit, naturā ad loquendum ineptæ, ad loquen-
dum instituuntur. Quid verò concludat? Ergo res natura insitæ
assuefactione mutantur.

31. Resp. dicat nobis Tempellus, an de omnibus omnium specie-
rum auibus loquatur. Sic enim eum ψευδολογῆν, nemo non agno-
scit. Quod si verò pauca quedam ex ijs hanc περιουσίαν in sua natu-
rā obtineant, qua destituuntur aliæ plurimæ, ut non discant que-
dam humana verba proferre, qua fronte δύνανται illam naturalem
negabit? Et præterea tum auibus tum alijs quibusdam animantibus
καταχρηστικῶς morem & consuetudinem attribui posse, Philosophus
non negavit: propriè verò illis convenire, sine absurditate maxi-
ma sanus nemo statuit.

32. Cum Socrate bardo & Demosthene blæso nihil proficit. Non
enim quicquam contra Naturam tentarunt: licet eam impeditam
soluere studuerint: ut finem sibi fixum adipisceretur.

33. Denique quæ de affectibus disputat, de humanis intelligat, i. Nicom. 19.
necessum est. Quare de purè naturalibus accepta, falsa sunt. Cum
enim hi in parte animæ irrationalis consistentes, mediocritatem su-
am non à ratione, sed à naturali potentia παθητικῇ sumant: de his
Aristoteles neutiquam locutus est. Alij verò sunt mixti, qui in par-
te eadem reperiuntur, non absolutè, sed quat. illa rationis imperio
paret: de quibus Philosophus intelligendus est.

34. Adhuc igitur omnis conatus Tempelli in in fringenda maiore
propositione syllogismi Aristotelei irritus fuit, fixumq; perstat. Ni-
hil τῶν φύσει ὄντων (quat: tale) aliter atq; natum est, assuefieri: sca-
pham vid. scapham appellando.

35. Non citra magnam verò turpitudinem disputator hæc addidit Pag. 196.
verba. Quare ista adhuc ratio (hoc est maior propositio syllogis-
mi) non impedit, quo minus natura virtutem perperisse videatur.

36. Nonnè tædum in modum tum sibi tum Platoni, quem quo in protag. itē
in 7. & 8. die
al. de rep.
dam prætextu, ut vid: suam ἀπειθευσίαν palliet, defendere videri
vult, contradicit? ut post patebit.

37. Verum

pag. 196.

Herodianus
de reb. gestis
Imper. com-
modi.]

e. Reg. II.

o. Nicom. I.

ἀνακισφαλαί-
σις primi
argumenti.

Arist. lib. 9.
Metaph. c. 9.

37. Verum ad assumptum illius syllogismi quid respondet Tempellus? Tanta (ait) est virtutis maiestas, ut nunquam conuelli: tantus splendor, ut nunquam extinguatur: tanta firmitas, ut nunquam permutari queat. Quorsum hæc? Nempe assuetudine nos non mutari in bonos & malos.

38. At nisi de idea virtutis hæc intelligat, aperte falsum asserit. Quot enim historiae tum sacrae tum profanae testantur, virtutum fama perquam celebres viros degenerasse, & pessimos homines atque reipublicae detestanda περικατάγματα euasisse?

39. Hæc verò tanto libentius confitebitur, qui fragilitatem humane naturæ animo penitus contuitus fuerit & astum Satanæ ἀνοήτων prospectum habuerit: quæ duo quoque effecerunt, ut rex præstantissimus David homicidio & adulterio se pollueret.

40. Hæc dum ita pro Aristotele disputamus, duplicem ἀντίφασιν Tempelli probè effugimus. Putat enim si statuatur, naturam non inesse virtutes, præter & contra naturam eam haberi, statuendum esse.

41. περιφικία namque & δεινότης virtutum ἐμφυτὸν est, cui acceptum fertur, quod habitus morum à nobis acquirantur. Nec enim sequitur: Habitus logicus φύσει nobis inditus non est. Ergo præter & contra naturam habetur. Sufficit, sit in natura ἐπιθεότης, cuius merito habitum istum assequaris.

42. Non magis ἀντιφατικῶς hæc pugnant, virtutes naturam non insunt, earum verò δεινότητα naturam omnes accepimus. Nisi forte per Tempellum discrimen inter potentiam & actum sublatum sit. Quid? cum ipse naturam philosophus non sit, an eam Natura facultatem denegarit, ut talis fieret.

43. Nascitur iccirco cum homine τὸ περιφικέες, quod in se possit recipere virtutem. Ipsa autem virtus non innascitur, sed acquiritur. Alioqui ex omni parte & absolutè naturalis esset virtus: ut sunt naturales perfectiones omnes, quæ cum rebus ipsis nascuntur.

44. Accedit id quod accurata θεωρία rerum naturalium nos moneat, eorum quæ φύσει insunt, δυναμικῶς quidem prius, sed ἐνεργητικῶς posterius haberi. Neminem enim latet, antiquiorem nobis esse v. c. videndi facultatem, quam videmus, quæ naturam inest.

Nec

Nec quisquam ita delirat vt dicat, nos sæpe aspiciendo sensum visus accipere.

45. Contrarium virtutibus Moralibus competere, fatentur omnes, qui rem secum rectè reputarunt. Certo certius est, ὅτι τὰ δίκαια πράττοντες, δίκαιοι γινόμεθα. Quin imo sicut prætermittendis & fugiendis voluptatibus temperantes efficiamur: ita nunc temperantes effecti, voluptates maximè possumus aspernari.

46. Et hoc artes cum virtutibus commune habent. Nonne vel ei, qui euadere gestit Grammaticus, incumbit, vt diurna & assidua exercitatione benè scribendi & loquendi euadat talis? Sic nimirum ἐνέργεια prior & δύναμις posterior est. Et quando iam factus est Grammaticus, tunc maximè potest eas edere actiones, quibus habitus iste fuit acquisitus. & γὰρ δὲ μαδόντας ποιῶν, τὰυτὰ ποιεῖντες μανδάνομεν.

47. Proinde pro Aristotele apponimus hunc alterum syllogismum.

Omniū rerum naturalium prius & δύναμις posterior ἐνέργεια habemus.

Sed contrarium de virtutibus morum verum est. Nam Virtutum moralium prius edimus ἐνέργειας & posterioris ἐξῆρ accipimus. E.

Virtutes morales naturā non insunt, sed assuefactione acquiruntur.

48. Tempello maior non est καδὸλς. Nam (inquit) natura quibusdam rebus simul cum substantiæ absolute adum tribuit & ingenerauit. Anima non antè animandi potestatem vitæ præstandæ accepit, quàm actum. Aqua non antè potestate humectandi prædita est, quàm humectat.

49. At verò hæc vel recitare, refutare est. Nam quæ de Anima affert, falsa sunt. Cum enim sit actus primus corporis organici phisici habentis vitam potentia: neq; id ob organorum indispotionem æquè omni tempore animat, neque facultatem amittit, quando in morte ab humano corpore separatur.

50. Et hic notanda veniunt, quæ alibi Aristoteles scripsit

B

οὐ γὰρ

Aristot. 2. de anima I.

2. de gen. animal. 3.

lib. 9. Metaph. 9.

2. Nicom. I.

2. argumentum pro Phisosopho.

οὐ γὰρ ἅμα γίνεται ζῶον καὶ ἀνδρῶπιον οὐδὲ ζῶον ἢ ἴππον, ὁμοίως
δ' ἐπὶ τῶν ἄλλων ζῴων, ὕστερον γὰρ γίνεται τὸ τέλει.

51. De aqua, igni & similibus quis non habet exploratum, quod potentia & actus loco & tempore sint disiuncta? Vt enim aqua nunquam non habet δύναμιν humectandi, ita ἐνεργητικῶς prius non humectat, quam tale sit nacta obiectum, quod humectetur. Vim autem humectandi occultam in natura sua à forma substantiali per emanationem proficiscentem habet.

52. Quare falsum est, non posse fingi tempus, quo fit calefaciendi actus ab igni seiunctus. Tunc .n. non calefacit nequeurit, quando non aptum pabulum ei apponitur, quod absumatur aut caleseat: quod verò maximè fit, quando in eo Mundi loco versatur illi à Naturæ opifice deputato.

53. Examen minoris propositionis syllogismi ingrediamur. Opinatur enim scriptor, ex eo posse Aristotelem alicuius ἀντιφασίας conuinci. Nam (ait) paulò antè potestatem quandam hominibus naturæ beneficio delatam esse adipiscendæ virtutis dislerebat. Nam oratio illa quid aliud sonat, esse nos vid: ad suscipiendas virtutes aptos naturâ.

2. Nicom. 1.

3. Nicom. 3.

54. At Tempellus fœdè committit fall. Ignorationis Elenchi. Sanè asseuerat philosophus δ' ἐνότητά comparandæ virtutis naturâ inesse. Non autem eam ἔξιπ' intelligit, qua constanter & cum voluptate agas quicquid recta ratio suadet. Hæc enim ἔξιπ' dicta aliàs actus primus, non naturâ inditus nobis est, sed multis actionibus acquiritur: à quo postea ἐνεργητικῶς tanquam actus secundi independent. illa verò δ' ἐνότητες adhuc habitum antegreditur: & in habitum permutatur.

pag. 193.

55. Itaq; nil nisi fumos vendit hac oratione Tempellus: Nos virtutis comparandæ potestate natura ante instruxit, quam virtutis munera obire poteramus. Hæc de ἀσχυρότι concedi possunt: de ipsa verò virtute tanquam habitu sunt falsissima.

56. Idem recipit responsum, quod de artibus affertur. Habilitas quidem alciscendi habitus artificiosi in subiecto latet: cuius benignitate homo aliquis cuiuspiam artis peritus & artifex euadit. Verum opera artificiosa prudenter efficiere posse, ante adeptum habitum in subiecto non inuenitur.

57. Et nunc in quendam Proteum vertitur Tempellus. Cū enim
enim:

enim paullo ante errori isti patrocinatus ipse sit, quod virtus moralis *natura* insit: hoc iam non tantum negat, sed etiam Aristotelem fugillat, quasi ipse ita docuerit.

58. Sed etiam sublimem philosophiam de causa efficiente virtutis Ethicæ notemus. Neq; (inquit) obscurum est, virtutem non esse natam nobiscum, sed aliunde accersitam: non domesticam esse & vernaculam sed peregrinam & coelestem: non haustam à natura, non ascitam frequenti actione, sed delibata diuinitus. pag. 194.

59. Ad hoc telum iam pridem declinauit Aristot. qui minime dissimulat, felicitatem politicam (adeoq; etiam virtutem) Deo acceptam ferendam esse, tanquam causæ primæ. Cum verò in secundam & propinquam causam inquirat philosophia, quænam ista sit: philosophus esse Naturam negat: Assuevit autem assuetudine acquiri virtutem ἡθικῆς, in humanis actionibus attendendo τὸ ὅτι δὲ ἡ ἐξ ὅτις ἡ πρὸς οὐκ ἢ οὐ ἐνεκα ἢ ὡς δὲ. 1. Nicom. 90

60. Nec res parui momenti est, quod hanc Aristotelis sententiam suffulciat eorum authoritas, qui causa reipub. firmandæ leges promulgant, rei q; administrandæ publicæ præsumunt. Opinantur hi, si sua cura, suoq; labore subditi rebus honestis assuescant, bonos & honestos sic effici. Nec tantam molestiam deuoraturi vnquam essent, nisi scirent, virtutes nobis non natura inditas esse, sed institutione & studio acquiri. 2. Nicom. 30

61. Hunc laborem, hocq; studium Tyrannorum Plato tanti fecit, vt Deos saluaret, qui virtutem alios docerent. in Ephydemo.

62. Et huc etiam pertinet, quod plectuntur inobediētes, qui leges & decreta transgrediuntur, & se sceleratæ vitæ dederunt. 2. Nicom. 2. n. 48.

63. Cuius verò argumenti robur vt euidentius fiat, locus Platonis afferendus est. Nemo (inquit plato) ob ea mala, quæ vel natura vel casu accidisse putat, cuiquā succenset. Sed nec obiurgat nec edocet, nec punit eos, qui hisce malis premuntur, ne tales sint: sed omnes potius miseremur ceu deformes &c. Contra verò quæ bona, diligentia, exercitatione & doctrinâ putant adesse hominibus, tunc indignantur, increpant atq; puniunt. Quorum numero iniquitas est & impietas ac summam quicquid civili virtuti repugnat. in protagora.

ibida.

64. Et paullo post. Qui ratione punire aggreditur, non praeteriti sceleris causa punit. Neque enim assequi potest, ut quod est factum, sit infectum: sed futurum respicit, ne iterum aut ipse aut alius quilibet exemplo eius adductus delinquat. Quisquis autem hoc proposito censuraeque eiusmodi animaduer- tit in errata, doctrina virtutem existimat posse comparari. Nam absterrendi causa plectit.

¶ argumen-
tum pro Phi-
losopho.

65. Proinde pro Aristotele sic amplius ratiocinamur.

Id natura non inest, quod rerū pub. curatores & οἱ χαριέντες usu, institutione & formidine poenae in ciuib. efficere student. Sed rerū pub. curatores & οἱ χαριέντες dicto modo ciues suos honestos efficere contendunt. Ergo & c.

pag. 195.

66. Hoc argumentum vocat Tempellus amentatam hastam, ad speciem quidem contortam eleganter: sed quae plagam, non cladem, vulnus non victoriam afferat, verum nos proba- tioni attendemus.

67. Contendit autem, legum ferendarum rationem ad co- ercendam libidinem susceptam & c. magno argumento esse, *virtutem ferē a disciplina & institutione proficisci.*

68. Nos per inuersionem hostis telum in ipsum vertimus. Virtutes morales sunt a disciplina & institutione, dicente Tempello. Ergo non insunt natura (quod paullo superius cō- tendit) sed assuetudine acceruntur.

¶ Nicom., 2.
ca. 1.

69. Hinc illud Philosophi. *ἢ γὰρ παρ᾽ αὐτὰ πρᾶγματῶν οὐ δεω- γίας ἐνεκὰ ἐστὶν. οὐ γὰρ ἵπ' εἰδῶμεν τί ἐστὶν ἡ ἀρετὴ, ἀκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵπ' ἀγαθοῖ γινώμεθα.*

70. Nec quod supra etiam monuimus, protinus sequitur, si quali quali modo institutio & disciplina (ad cognitionem prae- ceptorum nimirum respicit Tempellus) ad virtutem conse- ctandam concurrat, propterea non *ἢ γινώμεθα ἀπλοῦς* esse assue- tudinem.

pag. 196.

71. Rursum verò instar Lunatici aliam de ortu virtutum o- pinionem defendit, scribens: sic hercle leges non ad ferendas virtutes in hominū animis, sed ad eas a natura, satas diligenter excolendas & q. ad florem eliciendas descriptae sunt.

72. Sed Tempelle vbi memoria eorum, quae his verbis in li- bello

bello tuo non multum præcedunt: virtutem non esse *natam*
nobis cum, sed aliunde accersitam: non domesticam sed peregrinam & *cælestem*: non haustam à natura sed *diuinitus acceptam*? pag. 194

73. Quid? sentisnetu disputator, aliquid vltius etiam moueri, quando terminum motus sui *ad quem* adeptum est? Aut igitur nugæ sunt, quicquid de virtutibus à natura satis & tantum ad florem eliciendis somnias: siquidem si à natura sunt factæ, omnimodo sunt naturales perfectiones: perfectionis autem perfectio non est: Aut si verum, vt verum est, virtutes naturæ perfectas non esse, eæ in quantum intelliguntur esse habitus, natura non insunt. Aut tertium, si vir es, nobis monstres.

74. Quod subiungit: proinde Plato, si me audierit, legum authoritate & mente permotus, Aristoteli discipulo de perfectione virtutis assentiatur, *non esse eam hominibus à natura tributam*: sed tolli idcirco *igniculos virtutum* & summam illam naturæ ad honestatem & decus propensionem, vehementer pernegabit. pag. 169

75. Nescit profectò quid calamo stridet: neq; intelligit, quæ scribit. Nam ἀντιφάσις fœda silentio transeat. Quid verò igniculos virtutum nominat? Si propensionem ad honestatem & decus (ciuile) in natura corrupta vtcunq; relictam: iam ad nauseam vsq; inculcat Aristoteles, se eam non negare: seq; in nobis asserere τὸ πεφυκός ad virtutem recipiendam.

76. Si intelligit noticiam discriminis honestorum & turpium omnib. hominibus ἐμφυτορ, nusquam eam Philosophus sustulit. Quo spectant igitur sesquipedalia verba? vbi sunt perpetuæ ἀντιφάσις Aristotelis, quas Tempellus sibi nunquam constans semper crepat?

77. Magnum autem argumentum est pro Aristotelis triumphante sententia, quod virtutes Ethicæ iisdem depereunt, quibus comparantur, nempe actionibus, πρᾶξις γὰρ τὰ ἐν τοῖς συναλλάγμασι τοῖς πρὸς τοὺς ἀνθρώπους, γινόμεθα ἢ μὴ δίκαιοι, ἢ ἄδικοι. 2. Nicom. 1. n. 25.

78. Quod ipsum tum in artibus tum in motibus naturalibus obseruare est. ἐκ τῶν αὐτῶν ἢ γίνεται ἢ φθείρεται πάντα, οἱ γὰρ γενέσθαι ἢ ἀυξήσθαι ἢ αἰ φθῶραι ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ ὑπὸ τῶν αὐτῶν γίνονται καὶ αἰ ἐνέσθαι καὶ ἐν τοῖς αὐτοῖς ἔσονται. 2. Nicom. 1. n. 24, 2. Nicom. 2. n. 27, 28.

B 3,

79. Proinde

4. argumen-
tum pro phi-
lofopho.

79. Proinde pro Aristotele rursus sic argumentamur,
*In genere sunt eadem quae corrumpunt & generant : quod indu-
ctione rerum naturalium & artificiosarum atq; operationum li-
quet.*

*Atqui virtus moralis ab actionibus corrumpitur. E:
Virtus Moralis ab actionibus generatur : & vi consecutionis, est
ab assuetudine.*

pag. 196.

80. Tempellus sophisticatur in particula E X, scribens. Vult
(Aristot.) ex iisdem rebus virtutem nasci, per quas interit. Hinc
concludendum existimat, non ex actionibus, sed ex illa natu-
ra ad honestatem propensionis virtutem efflorescere.

81. Verum modico candoris specimine de causa materiali in-
terpretatur, quod de efficiente sonat. Neq; proprietati ser-
monis attendit, dum pro particulis ὑπὸ aut ἀπὸ voculam E X
substituit : quandoquidem haec materialis, illae efficientis causae
praeipue notae sunt.

7. Phys. 1,
3. Phys. 4.

82. Sed quo iure tribuit isti δεινότητι ad virtutem efficientis
vim? Nam haec ipsa est perficienda, quae in habitum transmu-
tatur. Cum vero nihil moueatur & moueat, respectu eiusdem,
ipsa ἐπιδειότης virtutis causa (efficiens) non erit.

83. Concedimus vero Tempello, si in natura humana abolea-
tur ista ad honestatem propensio seu δεινότης, quod habitus mo-
ralis in eam non assumatur. Hinc autem parum παρδύτως in-
fert, maiorem propositionem syllogismi Aristot. vel non esse
καθόλου, vel illam δεινότητα esse causam virtutis efficientem.

84. Neque illius naturalis σχέσεως ad virtutem recipiendam
alius est per se interitus, quam ista in suum habitum transmu-
tatio. Secus enim saluo ὑποκειμένῳ non interit.

pag. 197.

85. Exclamat, philosophum perimentes causas cum pro-
creantibus confundere. Respondeo, nihil minus facit. Et ipse
Tempellus hoc non ignorat.

ibid,

86. Nam cum scires Tempelle, quod vera contraria in ge-
nere conueniant & sub vno genere à se longissimè distent, cur
exclamaisti : propositio quam est aliena à communi sensu ?
Tunc

Tunc (Aristot.) procreantes virtutum causas cum intermentibus easdem statuis? Et quæ alia blateras.

87. Sed age quid vitii habet hæc propositio? Ex iisdem (genere) rebus aliquid fieri & corrumpi. Hic musitat: Nullas res ita esse alias ab alijs infesto odio dissidentes, quin redire in gratiam hac tam generali distinctione possint facillimè.

88. Quid tum postea? Quæ enim res inuicem infesto odio magis distant, quàm quæ in vno eodemq; subiecto se mutuo perimunt, ipsa nimirum contraria: quæ in vno genere conueniunt? Si huius veritatem perispicis, quid inde absurdi colligis acute Philosophè?

li. 10. Metaphis.

C. 4v

89. Conaris ostendere, in genere non esse vnam causam procreantem & perimètem virtutis Ethicæ. Nam ex tua sententiâ prauitas Mentis corrumpit virtutem, & splendorem obscurat & labefactat naturam. Procreantem verò causam esse Deum. Et hæc duo vni generi non subiunt.

pag. 195.

90. Si verò philosophus esses, nunquam scripsisses: Deum esse propinquam causam virtutis moralis. Talis enim nunc quæritur, vt supra etiam diximus.

91. Mentis autem prauitas virtutis corruptionem sequitur: vt nolis velis, agnoscas verum esse, actiones (prauas) corrumpere virtutem, habitusq; vitiosi, qui prauam mentem ponit, causam existere.

92. Quòd etiam hæc tecum verba musitas: Proinde ad interitum virtutis facit non solum desuetudo & actionum peruersitas, sed etiam debilitas, deprauitasq; naturæ & moralis disciplinæ obliuio.

pag. 195.

93. Sunt hæc tum prioribus à te assignatis multis modis contraria, tu nunc reddere paratus, quod prius eripere conabaris: tum etiam sæpe mihi moneris, inter causam per se & per accidens distinguendum esse.

94. Itaq; vides Tempelle, quàm parum acutè, quàm inscitè, quàm ineptè, quanto deniq; cum pudore à te sit pugnatum rationibus planè friuolis contra inuictum Aristotelem: virtutem moralem è cõplexu naturæ sese diffundere: non verò ab actionibus vitè se habentibus manare.

Quod.

Quod virtus παιδευτικῆς μεσότης (mediocritas) definiatur.

2. Nicom. 5. 95. Postquam Aristot. : πεπαιδευμένως virtutem probasset esse habitum, ulterius ad plenam constituendam progreditur definitionem : talemq; docet esse habitum, qui τὸ μέσον, eius quod ad nos, sit σοχαστικός.

2. Nicom. 5. n. 9. I. argumentum pro Philosopho. 96. Hoc autem inde euincit, quia humanae actiones & affectus, in quibus versantur virtutes Ethicae, sunt continuæ & diuisæ. Verum ἐν παντί συνεχῆ καὶ διακετῶ ὅτι λαβῆν το μὲν πλεον το δ' ἔλαττον, το δ' ἴσον. Vbi verò datur æquale & inæquale, ibi dantur excessus, defectus & medium. Hinc igitur apparet.

2. Nicom. 3. 97. quod virtus sit mediocritas, quæ in actionibus humanis τὸ μέσον ὅτι σοχαστική. Nam τὸ ὅτι δὲ καὶ ἐφ' οἷς καὶ πρὸς εἰς καὶ οὐ ἐνεκα καὶ ὡς δὲ, μέσον τι καὶ ἄριστον, ὅπερ ὅτι τις ἀρετῆς.

97. Hæc ut ut oppositè, concinnè & pulcherrimo ordine disputantur ab Aristotele, tamen disputator noster suo more sub δὲ ἀρ μοίραμ reuocat, scilicet, & limatulo suo iudicio censet.

pag. 199. 98. Primum autem Zuingerum, qui in ἀναλύσει huius textus utilem præstitit operam, pungit, quod moneat de prætermissa ab Aristotele ὑποθέσει, sed tamen addenda : quæ hæc est. Omnes hominum actiones & affectus Ethicos esse continentes & diuiduos.

2. Nic. om. 5. n. 2.9. 99. Resp. hanc hypothesin Zuingerus non tam aliunde ad textum attulit, quàm ex ipso textu depromsit. Nonnè enim talia sunt prædicata, qualia subiecta permittunt esse? Nonnè iuxta substratam materiam omnia sunt exponenda? At quo de hic loquitur Philosophus? Id verò ipse indicat, se de virtutibus dicere, ijs quidem, quæ sunt περὶ πάντα καὶ πρὸς ἑαυτὸν. Cum itaq; diceret, in omni continua & diuisa re dari æquale inæquale, quo aliter hæc retulisses, nisi ad actiones & affectus humanos?

pag. 200. 100. Quod verò disputator in argumento Philosophi quatuor terminos monstrat, ita ut maior de re per se continua & diuisa, minor de eo quod per accidens tale sit, loquatur, nihil ipse proficit.

101. Fono (non tamen concedo) affectus, actionesq; humanas

manas ad quantitatem continuā relatas, per accidens propter
tempus & motum diuiduas esse: num propterea erit argu-
mentatio vitiosa? Nonne concludere licebit, quat: actiones
Ethicæ ad continuam quantitatem referantur, eat: quoq; esse
diuisas, ijsq; æquale & inæquale conuenire? Quid hinc emer-
git absurdi?

102. Sed hoc Tempello notandum est, quod ipse pretextu
subtilitatum aspernatur, actiones & affectus humanos non
ratione quantitatis, sed qualitatis continuas & diuisas poni:
ratione nimirum perfectionis & imperfectionis.

103. Hoc satis indicat Philosophus: ὅτι οὐκ ἀφελὲν ὅτι οὐτε προσδέχεται, ὡς τῆς μετρίου
τοῖς εὐχρηστοῖς ἔργοις, ὅτι οὐκ ἀφελὲν ὅτι οὐτε προσδέχεται, ὡς τῆς μετρίου
ὑπερβολῆς καὶ τῆς ἐλλείψεως φησὶ ἡ δόξα τὸ εὖ, τῆς δὲ μεσότητος σωζόμε-
ται.

Nicom. 5.
n. 21.

104. Quid? quod gradus illis etiam rebus tribuimus, quibus
motus & tempus attribui nequeant. Nam lumini suos assi-
gnamus gradus, quanquam neq; in tempore fiat physico, neq;
motum agnoscat ullum localem.

105. Ut errorem suum etiam palpet disputator, opinans,
si affectus & actiones humanae dicantur continuæ & diuisæ,
hoc, ratione motus & temporis (quæ duo omni modo è præ-
dicamenti quantitatis domicilio exterminat.) fieri: quod ve-
rò sibi contra mentem philosophi finxit.

106. Quapropter cum τὸ ὅτι actionis laudabilis sit τὸ με-
dium tenere: falsa est Tempelli gloriatio: quòd mediocritas
affectibus & actionibus non suo, sed alieno iure, non vi natu-
ræ suæ, sed fortuito insideat.

pag. 201.

107. Falsissimum autem est, Arist. ita argumentatum esse.
Quod ab eo, quod nimium parumve est, corrumpitur, id à
mediocritate ortum & incrementum habet. At virtus ab eo,
quod nimium parumve est, corrumpitur. Ergo &c.

pag. 202.

108. Aristoteles (vnde argumentum extruit) ita habet, ὅτι οὐκ ἀφελὲν ὅτι οὐτε προσδέχεται, ὡς τῆς μετρίου
τοῖς εὐχρηστοῖς ἔργοις &c.

Nicom. 5.
n. 21.

109. His Philosophus adeo id non concludit, quod somniat
Tempellus, vt communi sententia hominum astruere satagat,
omnem artem sua opera ad mediocritatem dirigere. Id quod
inspectio textus docet.

C

110. Proinde

pag. 202. 203.

110. Proinde Tempelli omnes absurditates, quas ex illo suo argumento elicit, non Aristot. vellicant: sed suas ipsius ineptias exagitant: cum interim philosophus triumphum adornet.

111. Quando autem Philosophus dicit, πῶς ὑπερβολὴν ἢ ἕλλαψιν φδείσεν τὸ εἶναι in actionibus humanis: sed μεσότητά idiplum σώζειν: quarit disputator, virtusne à vitio expugnetur? Exq; affirmato mira mirabilia παραδόξα colligit.

pag. 198.

112. Sed eum monemus, vt superioris assertionis suae meminerit, mentis vid: prauitatem virtutem corumpere. Id propter omnia absurda, quae hîc recenset, suam ipsius opinionem premunt.

113. Præterea cum virtus dupliciter violari intelligatur, vel respectu actionis, cuius est τὸ εἶναι, cuius gratia actio laudatur, si adest, sed vitupatur, si abest: vel respectu animi, cuius est ποιότης & accerlita perfectio: quâ fronte negat, virtutem non perimi.

2. argumentum pro Philosopho.

114. Sed & tale pro se vsurpat Arist. argumentum. Si omnis ars ita demum benè suum munus explet, si mediocritatem sibi ob oculos ponat, ad eamq; sua opera dirigat, virtus profectò medium collineando petat.

115. Patet consequentiæ ratio. ἢ δ' ἀρετὴ πάσης τέχνης ἀκρίβειαν ἔχει καὶ ἀμείνω βεῖ. Et de artibus illud est verum, communi omnium suffragio, commendantium ea opera, quibus neq; detrahi neq; addi possit. Existimant enim, excessum et defectum corrumpere artis perfectionem, sed Mediocritatem eam conferuare. Ergo &c.

pag. 205.

116. Tempello consequentia in hypothetica ieiunam subtilitatem redolet. Non sequi, ait, quod in rem non ita magni pretij conuenit, id etiam rei conuenire præstantissimæ (semper.)

117. Concedo. Hoc verò quid ad rem? Nam philosophus huic basi suum argumentum superstruit. Si illi inest, cui minus inesse videtur, etiam illi inest, cui magis inesse videtur. Itaq; sic ratiocinatur. Si interest artibus, vt sua opera ad mediocritatem dirigant: certè magis intererit virtuti, in actionibus humanis medium collineare, propter illam rationem iam iam positam.

118. Vnde manifestum absurdum infertur ex negatione Tempelli. Si enim virtuti non inest τὸ μέσος σοχάρεσθαι, neque artes opera

opera sua medium collineando, ad id dirigent. Quod tamen cum omnium opinione, ut diximus, pugnat.

pag. 206. 207.

119. Itaque simul & semel concidunt ridiculae quaestiuunculae, quas hoc loco cumulat. Quae omnes ex incredibili inscitia rerum philosophicarum sunt natae.

pag. 208.

120. Quod inferre vult, ineptè virtutem dici mediocritatem. Quo enim propius ad summum in bonis & perfectissimum acceditur, eò laus amplior.

121. Paucis respondet Arist: κατὰ μὲν πλὴν οὐσίαν καὶ τὸν λόγον ἢ τὸ ἄλλο ἐν αὐτῷ λέγοντα, μεσότης ὅστις ἢ ἀρετὴ, κατὰ δὲ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ, ἀκρότης. Ceterae ineptiae Tempelli cum vanitatibus Mundi transeant.

3. argumentum pro philosopho.

122. Tandem euincitur, virtutem esse μεσότητα. quoniam περὶ πάδη καὶ πράξεις versatur. Etenim in his cum sit ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις καὶ μεσότης, certè extrema reprehenduntur, τὸ δὲ μέσον καὶ ἐπιχειρεῖται καὶ κατορθύεται. Quapropter rectè concluditur, πλὴν ἀρετῶν εἶναι μεσότητα σοφασικῆν οὐσαν τῷ μέσῳ.

pag. 210.

123. Huic argumento ille sic illudit. Socrates in confectanda mediocritate versatur. Ergo Socrates est mediocritas.

124. Heus Tempelle, quando Philosophus ait, ἀρετῶν ἡδίκην εἶναι περὶ πάδη καὶ πράξεις ad mediocritatem in ijs collineando, num hoc de Socrate dicatur? Nonnè verò virtuti hæc phrasis optimè quadrat? Taceo quod virtus Ethica affectuum & actionum sit quasi anima seu perfectio. Quod ex illis philosophi apparet: κατὰ μὲν πλὴν οὐσίαν.

125. Ergo vicit Aristoteles: victus est Tempellus: immotaque stat vera philosophi sententia, quod virtus Ethica & sit ab assuetudine πρώτως, & sit mediocritas σοφασικῆν οὐσαν τῷ μέσῳ, in actionibus & affectibus hominum: quam Tempellus quidem allatrare, sed expugnare non potuit.

τῆς τριάδος τρισαγία δόξα
μεγίστη




Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur
Quod dicitur colligere, et sic dicitur
cum dicitur colligere, et sic dicitur

pag. 202
pag. 203

A. 1. 1. 1.
1. 1. 1.

pag. 204
pag. 205







ente gratia

IO I. ETHI- OGETICA.

OTELE

tra

TEMPELLVM

s duo capita

ab assuetudine seu usu
atur Mediocritas.

am

asidio

Cc 432a

CONRADI Franci
efendet

ERTVS Cl. viri Salomonis
B. Fil. Vuitebergensis

exta matutina in audito-
collegij noui.

BERGÆ,

olfgangi Meisneri

o 10 IVC.

